



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XX. & qui ita, Tribum Juda ex hominum commercio nunquam iri
segregatum, ut decem tribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

ut non alii quam hac tribu orti profuerint: 2. Reg. 10. 1. 1. Reg. 10. 24. 1. Reg. 10. 11. quicumque aliis prognati tribubus sceptrum usurparunt: cum ergo Saul qui Benjamita fuit, & Assamonæi qui Levitæ fuerunt, sceptrum sibi arrogassent, infeliciter ipsos periisse, Deo sic jus tribus Juda persequente. Meminissent doctrinæ hujus patroni, quibus verbis Samuel Regem compellaverit, cum unctura Regem cum Israëlitarum consecraret: *Ecce unxit te Dominus super hereditatem suam in principem.* Meminissent quibus cum verbis Samuel Regem renuntiaverit: *Certe videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.* Eane injusta est regni possessio, cujus auctor est Deus? Meminissent quam demisso sermone Samueli responderit Saul, cum in amplioris fortunæ spem excitaretur: *Numquid non filius femini ego sum, de minima tribu Israël, & cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Benjamin? quare ergo locutus es mihi sermonem istum?* quasi regni honorem refugiens ac detrectans. Ex his intelligitur Judæ sceptrum non contra jus, sed Deo sic volente & jubente Saulem occupasse, adeo ut qui secus sentiunt, apertissimo Dei judicio & clarissimis Scripturæ sacre verbis contraire videantur. Meminissent etiam Jeroboamum tribu Juda haudquaquam oriundum certo Dei nutu Israëlitis imperasse: sic enim ipsum Abias Silonites compellat: *Hæc dicit Dominus Deus Israël, Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus: & deinde: Te autem assumam, & regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisque rex super Israël. Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, & ambulaveris in viis meis, & feceris quod rectum est coram me, custodiens mandata meæ & præcepta meæ, sicut fecit David servus meus, ero tecum, & edificabo tibi domum fidelem, quomodo edificavi David domum, & tradam tibi Israël.*

qui prophetiam hanc esse statuerit: XVIII. Futilis verò penitus & absurda est eorum interpretatio, qui prophetiam hanc, non planam ac simplicem, sed *ἀποδυνάτω*, & connexis quibusdam determinatam esse statuunt: atque ea lege & omine principatum ad Messiam usque tempora esse Judæ promissum, si modo legi divinæ obsequatur. Cum enim opinionem istam nulla Scripturæ sacre prosequantur testimonia, uti nullo jure proponitur, sic optimo jure repudiatur. Cum alioqui pari exceptione, si huic adhibetur fides, omnia sanctorum Prophetarum vaticinia eludi possint.

quique id ita exponunt, Judæis deservit nunguam deservit: 2. Reg. 17. 27. XIX. Proponitur præterea hæc loci interpretatio in Berosith Rabba, Judæos, dispersos licet & captivos, non ita tamen vexatum & afflictum iri, ut omni penitus presidio careant; futurumque semper ut ex uno loco expulsi, in alium benigne suscipiantur, quoad Messias veniat; haud aliter atque à Machiro Ammielis filio David Absalomum fugiens exceptus est, & omnibus copiis liberaliter adjutus. Atqui hoc non tribus Juda privatim proprium est, sed ad omnes Israëlitas generatim pertinet: cum tamen demonstrandum fuerit promissionem hanc, Judæ privatam & propriam fuisse, nam Jacob *benedixit singulis benedictionibus propriis.* Deinde vix assignari regem, gentemve posse puto, quæ eos ita foveat ac protegat, vel tam certis prosequatur auxiliis, quam Machir Davidem; cum per universum orbem, quantum fando accepimus, æque viles habeantur, despiciantur sint, gravissimis tributis obruti spolientur, diripiuntur.

qui ita, Tribum Juda ex hominum commercio nunquam iri segregatum, ut decem tribu. XX. Postremam hanc ex R. Manassis Conciliatore proponam oraculi Jacobæi expositionem; nunquam ita sublatum iri tribum Juda, & ex hominum notitia ac commercio segregatum, uti decem tribubus contigit, sed semper doctores suos per quos erudiat ad Messiam usque ortum habituram. Ego vero aio non magis ex hominum societate & usu sepositas esse decem tribus, ac illam Judæ: nam qui per orbem sparsi sunt Judæi, quibusnam prodierint tribubus; an ex decem, an ex Judæa tribu, valde incertum est; tamque credibile est decem tribus ab Assyriis in orientem abductas, Judæos illic superstites progenuisse, quam quæ à Romanis in has oras dissipatæ sunt, Judæos in occiduis partibus habitantes procreasse. Præterea post deportatas decem tribus, aliqui tamen iis orti in patria reperti sunt, velut Anna Prophetissa, quæ fuit de tribu Aser. Nunc vero cum inter tot inflictas à Deo genti huic calamitates, non postrema sit tribuum confusio & permistio, & certæ stirpium seriei ac stemmatum ignoratio, & post tot direptiones, sectiones, publicationes, proscriptioes, vetustorum instrumentorum jactura; unam aliquam à reliquis, Judæam ab aliis decem, nunc internoscere velle, id vero est Judæum agere hoc, esse desipere.

Refelluntur deinde Judæi, qui hoc oraculum ad Messiam ullo modo pertinere negant; XXI. Nunc ii refellendi veniunt Judæi, qui majorum suorum sprete auctoritate ad Messiam ullo modo pertinere hoc oraculum prætracte infitiantur: qui ut à via veritatis recesserunt semel, in varios protinus errores sunt delapsi. Quidam Siloh, nominis hujus urbem sonare censent, & verba hæc, *Donec veniat Siloh*, exponunt, Donec desinat Siloh & finem habeat: ista autem, *Non auferetur sceptrum de Juda*, id putant sibi velle, Præstantia Judæ in regium dominatum mutabitur. Ut loci totius